

INDEX ALPHABETICVS

A.	
De ^{libyugto regi.} ^{grahandi iure} . . .	no. 11.
filio Senatu.	13.
Agonifandium efabris	18.
Auenis reb. utendi facult.	6.
Anargyria.	19.
Antichresi.	19.
Anatorisimo	19.

C.	
De Camerali Senatu.	13.
Circumstantijs.	17.

D.	
De Difamacione.	15.
Dei vocacoe.	9.
De hereditate iure.	ii. s. 19.

E.	
De Fabris agonifandiu.	18.

F.	
De Familijs.	4.
Familijs illustriu succesores.	5.
Facultate utendi reb. alienis.	6.

I.	
De Impij pp. Superioritate.	3.
Illudr. Fam. success.	5.
iure Monetarum.	8.
— Sigilloru.	9.
— Rapide.	10.
— aggrahandi.	11.
Indicijs q. n. veniu.	12.
iuram. Calabund.	17.

L.	
De Lege Regia.	2.
Landfalsijs.	7.

AUXILIANTE DEO TRINUNO!
DISSERTATIO JURIDICA,

DE

JURE SIGIL-
LORUM,

Quam,

EX MAGNIFICÆ ET NOBILISSIMÆ FACUL-
TATIS JURIDICÆ CONSENSU,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
ET CONSULTISSIMI,

DN.

JOHANNIS JACOBI AVIANI,
J. U. DOCTORIS, ET, IN CELEBER-
RIMA HAC SALANA, PROFES-
SORIS PUBLICI,

Placide eruditorum censura exponit

CASPAR DANIEL SCHNEIDER,

HAL. SAX. AUTOR ET RESPONDENS.

In Auditorio Juridico,

Ad d. 22. Julii, Anno M DC LXV.

horis consuetis.

J E N Æ,

Typis SAMUELIS KREBSII.

REVERENDISSIMO, ET SERENIS-
SIMO PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO,

AUGUSTO,
POSTULATO ADMINISTRATORI
PRIMATUS ATQUE ARCHIEPISCOPATUS
MAGDEBURGENSIS, DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
ET MONTIUM, COMITI PROVINCIALI THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, UT ET SUPERIORIS ET INFE-
RIORIS LUSATIÆ, COMITI MARCÆ, RAVENS-
BURGI, ET BARBY, DYNASTÆ RA-
VENSTEINII.


PRINCIPI AC DOMINO MEO,
CLEMENTISSIMO

Hanc qualemunque Disferrationem
juridicam, devotissima mente ma-
nuque

D. D. D.

Reverendis. Vestra Serenitatis
subjectissimus

Caspar Daniel Schneider.



I. X. D.

Prolegomenon.

MAgnum, atque insignem, multis retro seculis, sigillorum fuisse usum, tam ex sacris, quam prophanis rerum auctoribus, ut opinor, satis constat; quod & fecit, ut venerabilis eorum observantia, successu temporis, in tantum pervalerit, ut, non solum omnibus actibus, in quibus singularis quædam solennitas requisita, tanquam ultimum supplementum assumeretur, *l. 22. ff. de his qui testam. fac.:* Sed & postmodum, tanta eis efficacia accesserit, ut instrumentis, quibus apponerentur, indubitata afferrent fidem. Hodie vero, in tantum eorum gliscit autoritas, ut singulare potentia suæ munimentum, exinde sibi quærant homines, & ad demonstrandum rerum suarum amplitudinem, nihil magis quam sigilla conducere audent. Id quod testatum facit, ante omnes, Magnus Chamus, Dux Muscoviæ, qui, referente D. Conringio, *disputat. de Regno,* in sigillo suo, tali utitur inscriptione: Imperat DEUS cœlo, Magnus Chamus terræ: robur DEI & hominum. Tanta igitur sigillorum efficacia, quæ & plurimum in foro habet utilitatis, commotus, non nihil, de laudabili hac materia differere, in animum induxi. Nihil autem esset, quod me magis delectaret, quam si huic labori, per omnia, à me satisfieri

A 2

posset.

posset, libenterque in eo essem, ut istud effectum redderem, si non partim subtilitas materiae, partim ingenii tenuitas obstaret. Verum cum in magnis voluisse fat sit: rem ipsam aggredior, & sequentia capita subji-
cio. Ex quibus

C A P. I.

Continet onomatologiam.

§. I.



oportunè, ut mea quidem fert opinio, sub ingressu hujus dissertationis, in mentem venit illud Ulpiani, quo svadere videtur, ut, si quis de re quadam aliquid tractandum suscipit, in primis Etymologiae rationem habeat. Nam in *l. 1. ff. de f. & Jur.* sic orditur: *Juri operam daturum, nosse oportet, unde Juris nomen descendat.* Parili modo ab instituto meo non alienum fore autumo, si id agam, ut constare posset, unde vocabulum figilli derivari debeat.

1. §. II. Sunt quidam, qui sigillum putant, per metaphoram quandam, dictum, à sigillo h. e. parva statua si-
ve imago *l. 12. §. 23. ff. de fund. instr. leg. l. 13. §. 7. ff. de usufr. l. 41. §. 13. de leg. 1.* Plin. *lib. 36. n. 24.* hinc Calvinus, Lexico suo Jurid. vult, originem duxisse sigillaria, ponique pro sigillis Deorum, idque probat ex Arnobio *lib. 6. Abstinetis,* ait, *à risu, cum pro Deis immortalibus, sigilliolis, hominum formis, supplicatis, humanis, quin imo Deos esse, sigillaria ipsa creditis.* Quo cum congruere videtur Cicero *lib. 1. de natura Deorum,* quo, his verbis utitur; *Negare DEOS non audes, sapienter id quidem, etsi hoc loco populum non metuis, sed ipsos DEOS, novi ego Epicureos, omnia sigilla numerantes, h. e. ut quidam volunt, adorantes & colentes; Alii, qui vocum originationem altiùs indagant, diminutivum à signo esse, rectius autumant, Comœn. Lexic. suo Janual. nam ut à tigno, tigillum, à mamma, mammilla; ita à voce signo, sigillum fuisse derivatum. Christ. Becman, de orig. lat. lang. vocab. instigo.*
- 2.
- 3.
- 4.

§. III.

§. III. Sed de his fatis; & magis incumbere mihi vide-
tur, ad homonymiam accessum faciam, idque ideo potissi-
mum, quia parum constat, quid sit, de quo tractatur, nisi
æquivocatio vocabuli benè evolvatur & explicetur. Ex
præcedentibus igitur patet, etiam signa & sigilla, simula-
cra Deorum & heroum appellata fuisse, indeque quasi ad
perpetuam rei memoriam, pretiosis vasis, vel aliis ejusmo-
di suppellectilibus, fuisse impressa sive subsignata. Sic scy-
phi sigillati, i. e. sigillis ornati, vid. Cicero 6. in Verr. item 6.
festa sigillaria, quid apud Romanos fuerint, docet Ale-
xand. ab Alexand. lib. 3. cap. 4. Hinc sigillum & sigillatum,
sive signatum accipit pro operibus cælatis, ut sigillum can-
delabro adiectum l. 23. §. 2. ff. de rei vind. & patellæ adjecta
sigilla, apud Cicer. 6. in Verr. plura de his vid. Calv. Lexic.
Jurid. vocab. sigillum.

§. IV. Sumuntur etiam sigilla, pro characteribus & amu-
letis, collo quandoque appendi solitis, uti docet Philip. Ca-
mer. cent. 3. oper. succis. cap. 28. & 30.

§. V. Nonnunquam sumitur Sigillum, pro statu rerum, 9.
Hiob. 38. v. 14. Das Siegel wird sich wandeln wie Leimen / i. e.
rerum conditio.

§. VI. Pro affectu nimium amicabili, Cantic. 8. v. 6. Gehe
mich wie ein Siegel auff dein Herz / und wie ein Siegel auff dei-
nen Arm.

§. VII. Nonnunquam à Theologis, ad rei mysticæ
demonstrationem accipitur. Apoc. c. 5. v. 5. Ecce, vicit
Leo de tribu Judæ, & ipse aperuit sigilla libro appo-
sita. Similiter quando delinquentium peccata, confes-
sionibus commendantur, sub confessionis sigillo, hoc fieri
dicitur.

§. VIII. Etiam fructibus sive herbis quibusdam, com-
petit hoc nomen, est enim flosculus quidam, qui vocatur
sigillum Salomonis.

§. IX. Sigillum tandem sumitur pro signo, annulo,
& sigillo specificè sumpto, quæ tanquam species sub uno
quodam genere differunt. Aliud enim signum habet pa-

terfamilias, quod vasis, aliisque suppellectilibus inurit; aliud quod in stanneis, aut aliis metallinis vasis confignandis adhibetur, vocatur alias Hauszeichen: Deinde habet annulum in privatis negotiis, & sigillum in majoribus, aut officium suum concernentibus, quæ omnia generali sigilli vocabulo continentur. Nicol. Honthem. *lib. 4. de art. notar. cap. 11. n. 24.*

16. §. X. Proprie autem sumptum sigillum, est illud, quod continet quandam impressionem, in qua est imago sigillantis vel ipsa arma, aliusve character, cum literarum additamento.

17. §. XI. Sequitur jam Synonymia. Vocantur autem sigilla, etiam signa *l. 22. §. 5 ff. de his qui testam. fac. l. 11. de injust. rup. & tr. §. 2. 7. de testam. l. 1. in f. l. 2. §. si dubitetur l. 4. ff. te-*

18. *stam. quemad. aper.* Unde signare est sigillo obfirmare, Ulpian. in *l. 11. §. 3. ff. locat.* quod Græci *σφραγίζω* appellant, i. e. impresso aliquo chartam occludere *l. 6. ff. de custod. & exhib. reor.* Quo sensu signata tabulæ testamenti, in edicto prætoris, quæ septem testium signis roborata sunt, accipiuntur, *l. 1. §. pen. ff. de poss. secund. tab.* ut & signatum testamentum *l. 12. de injust. rupt. irrit.* Hac occasione notandum, quod licet verba hæc: Subsignare & Consignare convenire,

19. & eandem quasi naturam habere videantur; nihilominus tamen propriè inter se differant; nam subsignare, est signum suum, quod etiam sigillum dicitur, subjicere: alio sensu subsignare, est simpliciter subscribere, quia & scriptura signum est, unde scribentis persona indicatur: Denique subsignare, idem est, quod obligare, qui enim chirographo alicui subscribit, vel subsignat, se obligat, non secus, ac si totum scripsisset chirographum, Bart. in *l. 47. §. 1 ff. de pact.* Consignare autem proprie est, rem clausam sigillare, veluti, in sacculo depositam, *l. f. ff. de leg. commiss. l. 1. §. 36. ff. depos.*

22. §. XII. Ceterum interdum etiam annulus idem ac sigillum significat. Est enim apud Doctores vulgatum, sigillum & annulum, quoad materiam probationis, in Jure Civ. pro

pro iisdem capi, Nicol. Everhard. *tract. de fid. instr. cap. 12*
n. 1. Ut plurimum sigillum, etiam secretum nominamus, 23
vid. Calv. Item Bullam. Bullæ autem vox, non latina,
sed græca est; literas enim, Imperatores Græci postero-
res βέλλας vocarunt, idque ideo, quod in iis consuleretur,
ac decerneretur aliquid ab Imperatore, cui interdum au-
rum sive plumbum, pro sigillo erat adjectum, Rümelin. *ad*
aur. bull. dissert. 1. 0. 1. Besold. *de R. g. success. lib. 2. dissert. 1. 0. 1.*
Item vocatur signetum. Reichs Abschied *de anno 1512. Tit. von 24*
Testamenten inf. v. Es mögen auch ihrer ein oder mehr / so
nicht eigen Signet hetten / eines oder mehr der andern Signeten
sich gebrauchen. Germanice vocatur Siegel / Insiegel / Pette, 25
schafft / Siegel Ring oder Pitschier. vid. Christoph. Besold. in
thesaur. pract. voc. Siegel.

C A P. I I.

Continens Sigillorum originem.

§. I.

Q Uo tempore vero sigilla originem sumserint, non adeo
in propatulo est; constat tamen, vetustissimos morta-
lium, illis usos fuisse, cujus elegans testimonium nobis exhi-
bet Scriptura S. *Genes. 38. v. 18. & 25.* Ubi Juda Thamari, I
tanquam pignus, annulum suum signatorium dedit. Item
Exod. 28. v. 11. Ubi Deus apparatus, ad cultum sui ipsius
pertinentem, plurimis Mosis conficiendum mandavit, præ-
sertim verò, cum ad scuticulum, quod Summus Pontifex pe-
ctore gestaret, his verbis utitur: Das solt du thun durch die
Steinschneider und Siegelgräber / also daß sie mit Gold umbher
gefasset werde / ubi expresse mentio fit ejusmodi artificum, qui
sigilla, arte sua concinnare callent, item *Ezech. 28. v. 12. Esth.*
3. v. 12. Daniel. 6. v. 17.

§. II. Nec deessent probationes, quæ à profanorum au-
thoritate, possent desumi. Sed instar multorum nobis sit Q
Curtius *lib. 3.* Ubi ad Parmenonem literæ, Regis annulo ob-
signatæ, leguntur missæ. Patet ergo ex his, antiquissimam
sigillorum, esse consuetudinem.

C A P.

C A P. III.

Continet Sigillorum definitionem.

§. I.

Cum autem omnis, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re, institutio, debeat à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur Cic. *lib. 1. offic.* merito in eo, aliquid operæ ponendum arbitror, dum, absoluta onomatologia, methodus & ordo requirit, ut ad definitionem realem, accessum faciam.

§. II. Est autem sigillum, tradente Höpping: quo literæ, instrumentaque publica, fidei majoris causa, muniuntur. Vel secundum Faust. *in tract. de arar. consil. 247. ord. 398. clas. 4.*

1. est character sive figura, quæ imprimitur, probationis & fidei causa. Alii, sigillum vel signum, charactera, imaginem vel formam probationis sive fidei causa, impressam esse, dicunt, per *cap. inter dilectos Ext. de fid. instr.* Sed, ut mihi videtur, non inconcinne ita potest describi: quod sit nota familiaræ, nominisque distinctiva, ad negotia civilia roboranda, & scripturam authenticandam, usu inventa. Non autem
2. attenditur, annulo signatorio *l. 74. ff. de V. S.* an alio signo sigillove id fiat: dummodo tale sit, quod formam, insculptamque imaginem habeat, *l. 22. §. 4. ff. qui testam. fac.* Character enim est, qui ad probationem valet, & certum reddit sigillum, obsignantis personam, & voluntatem, quam per imaginem refert, & demonstrat, juxta tritum illud Actorum: Ex signo cognoscitur signatum *Zal. consil. 6. n. 17.*
3. *lib. 2.* De quo plura, cum ad sigillorum formam pervenero.

C A P. IV.

Continet Sigillorum divisionem.

§. I.

Ilucidius, per divisionem, apparere illud, quod tractandum sibi quispiam sumit, prudentissimè scivit Romanus Pontifex in *cap. super literis 2. Ext. de Rescript.* Et quæ distinguuntur, facilius percipi solere, non latuit Paulum, nec
Accnr-

Accursium in *leg. 1. ff. de dol. excep.* Econtrario vero, non aliunde obscuritas oritur, nisi, ex conturbata, & indistincta tractatione: hinc est, quod Cicero *lib. 1. offic.* divisionis præteritionem, pro maximo vitio habendam esse autumet.

§. II. Inter varias autem sigillorum distinctiones atque divisiones, hodie, secundum jura Canonica, eorumque interpretum scripta, receptas, omnium vulgatissima est, quando sigillum dividitur in publicum & privatum, Bald. *in l. 22. n. 5. v. ultimo quero. C. de Episc. & Cler.* Petr. Wesenb. *conf. 48. n. 20.* Honthem. *lib. 4. de art. notar. cap. 11. n. 25. & 26.*

§. III. Vocabulum vero publicum, multifariam in Jure accipitur (1.) enim publicum vocatur, quod tam respectu proprietatis, quam usus, ad omnes nationes spectat. (2.) Dicitur de illis rebus, quarum usus quidem communis est, sed proprietas ad aliquem Principem & universitatem spectat. (3.) Publicum dicitur, quod ipsius reipubl. & universitatis est, sed ab ea, ad publicum usum, deputatum. (4.) Publ. appellatur, quod est privatorum, quoad dominium, sed usus publici. (5.) Publicum idem est, quod populare, & unicuique de populo conceditur. (6.) Publicum est, quod loco publico fit, in quo jus redditur *l. in publicum ff. de serv. fugit. l. 2. ff. ad exhib.* (7.) Publicum etiam est, quod publicam respicit utilitatem, hinc jus dicitur publicum, vel privatum. *l. 1. §. hujus studii ff. de just. & Jur.* (8.) Publica, possunt dici omnia, quæ fiunt coram Judice, vel à Judice, qui publica dicitur persona. *Gloss. in leg. 1. §. hujus studii ff. de just. & Jur.* (9.) Vocamus illud publicum, quod publica autoritate, sive jure magistratus est constitutum. Hug. Grot. *lib. 1. de J. B. ac P. cap. 3. n. 5. pr.* Atque his duobus modis posterioribus, sigilla à personis publicis, adhibita, publica dicuntur. De quibus omnibus & singulis, pluribus agit Nicol. Everh. *cap. 6. n. 9.*

§. IV. His quasi præparatis, ad feliciter eruendam naturam publici sigilli, nunc cardinem, in quo versetur, ut volvamus, necesse est. Publicum igitur sigillum esse dicitur, 1

B

sigil-

figillum, quod ab eo adhibetur, qui publicam habet authorita-
tem. Vid. Nicol. Honth. *lib. 4. de art. notar. cap. 11. n. 29.* Hoc sigil-
lum alias, & fere communius, authenticum vocatur *cap. 2. Ext.*
de fid. instr. Petr. Wesenb. *conf. 48. n. 20.* & dicitur illud quod
justam & certam habet authoritatem, sicut instrumentum
2. authenticum, *d. cap. 2. § l. 2. ff. de fid. instr.* authenticum
enim, à græco nomine, *αὐθεντικός* sumtum, quasi authora-
tum, vel non sine authore & *αὐθεντία*, dicitur authoritas, hinc
authenticum est, quod certam & indubitam habet fidem, &
ab illo, cujus est, authore ipso profectum

§. V. Differt interdum etiam publicum, ab authentico, ut
3. species à genere. Publici enim appellatione, illud duntaxat
instrumentum continetur, quod à Notario Publico confectum
4. est: Authentici vero appellatio, latius patet, adeo, ut non so-
lum complectatur instrumenta à notariis confecta, sed & cæ-
tera omnia, quæ per se fidem faciunt, qualia sunt ea, quæ ab
Episcopis, Ducibus, cæterisque Magnatibus, eorum impresso
5. sigillo, conficiuntur. Hæc enim, etsi h. m. publica non sunt,
per se fidem faciunt, ut *in cap. post cessionem Ext. de probat. § in*
cap. oronis Abbas 1. Ext. de fid. instr.

6. §. VI. Numerum sigillorum publicorum quod attinet, tria
esse sigilla publica, Episcopi scil. Civitatis & universitatis, alia
vero sigilla, non esse publica post Matth. Wesenb. *conf. 12. n. 45.*
7. Mart. Mager. *de advos. arm. cap. 14. n. 91.* statuit. Verum quia
talibus literis, ejusmodi sigillo signatis, de consuetudine pu-
blice credi solet *in cap. cum dilect. de fid. instr.* hodie generali-
ter, quælibet sigilla à personis publicis aliis quoque ad-
8. hibita, publica erunt. Sunt itaque vel personarum ec-
clesiasticarum, vel secularium. Inter Ecclesiasticas personas,
publico & authentico sigillo utuntur (1.) Papa, *cap. 2. de fid. instr.*
cap. cum nobis de testib. (2.) Cardinales, Nicol. Everh. *tract. de fid.*
instr. (3.) Episcopi, *in d. cap. post cessionem de probat.* Nicol. Everh.
cap. 12. n. 4. Mascard. *de probat. conclus. 1302. n. 4.* (4.) Magni
Abbates, qui Episcopalem authoritatem habent, & Prælati, or-
dina-

ordinariam jurisdictionem exercentes, *cap. 2. de fid. instr.* Mascard.
de probat. concl. 1302. n. 44. & 48. (5.) Capitula, quorum itidem
sigilla, authentica sunt, *cap. 2. de prob.* Matth. Wesenb. *conf. 211.*
n. 40. Mascard. *concl. 1302. n. 44. & 48.* (6.) Conventus quoque
sigillum, literis appensum, publicum est, & perpetua firmitate
nititur, ad utriusque partis damnum & commodum, & creditur
huic, donec contrarium probetur, *cap. post cessionem, de-*
probat.

§. VII. Ex secularibus personis, sigillum publicum, sive au-
thenticum habent, (1.) *Cæsar*, cujus sigillo & subscriptione, mu- 9.
nitis literis plane creditur, Matth. Wesenbec. *conf. 261. n. 17. &*
conf. 271. n. 21. *Reges*, Principes, veluti Duces, Marchiones, cæ- 10.
terique magni Domini, *gloss. ad cap. 2. de fid. instr.* Comites, Ba-
rones aut alii Domini temporales, in loco quodam jurisdic-
tionem habentes. (2.) *Curia*, & *Cancellaria* Episcoporum, 11.
& Principum seculares, sigilla habent, de consuetudine au-
thentica, *cap. dilectus de fid. instr.* (3.) Universitates & *Castra*, 12.
Bald. *in l. si qua per calumniam 22. v. ult. quæro C. de Episc. &*
Cler. Sciendum tamen hic, parvam universitatem, jure pri- 13.
vatorum censi, & ideo ejus sigillum, recognosci debere *l. 16.*
de V. S. Matth. Wesenb. *conf. 12. n. 49. & 51. vol. 1. & consil. 178.*
n. 14. Verum, an de consuetudine Germaniæ, observetur, 14.
dubium est. (4.) Magistratus, quorum sigilla instrumenta
faciunt publica, Matth. Wesenb. *conf. 42. n. 8. & 9.* (5.) *Sena-* 15.
tus, cujus publico sigillo, munita scriptura, probatio dici-
tur probata, & non probanda, facitque rem evidentem,
notoriam ac omnibus manifestam, *cap. cum dilecti (verb.*
ex tenore instrumenti apparet) de donat. (6.) *Judices*, & *judicia* 16.
publica Ordinaria, *cap. post cession. de probat. cap. 2. de fid. instr.*
horum enim sigillum, non privatum, sed *publicum est*, vel-
uti eorum, qui jurisdictionem habent, *quibus fides haben-* 17.
da. (7.) *Notarii*, instrumentum in forma publica conficien-
tes, Honthem. *lib. 4. de art. Notar. cap. 11. n. 30. 46. 50* (8.) *Offi-* 18.
ciales, horum sigillum appositum esse, sufficit. *Zaf. conf. 1.*
n. 2, lib. 1. Denique quia talis consuetudo, ut etiam literis 19.

privatis sigillatis, fides habeatur, introduci potest, tradente Mynf. resp. 21. n. 30. cent. 1. ac per universam Germaniam, honestioribus personis, quas propterea Siegelmässig vocamus, præsertim vero in aliqua dignitate constitutis, fides ex consuetudine, quæ servanda est, habeatur *cap. cum dilectus Ext.* 20. *de fid. instr.* Nicol. Everh. *cap. 12. n. 83.* publica quoque eorum erunt sigilla, non privata.

§. VIII. Sequitur nunc distinctionis nostræ alterum 21. membrum, nimirum privatum. Privatum autem sigillum est, quod à privato, eove qui publicam auctoritatem non ha- 22. bet, adhiberi solet. Alias, non authenticum dicitur, utpote quod non à publica persona, ut dictum, confectum, scripturam authenticam non facit, cum non apponatur ad confirmandam eam, sed in testimonium tantum, solamque subscriptionis vim habeat. Pet. Wesenb. *conf. 48. n. 20.* Ex his 23. igitur patet, quod sigillum, tantam literis præbeat auctoritatem, quantam habet is, qui sigillo utitur. Proinde si persona sit publica, publica erit, ejus sigilli consignatio, ut: quando mandata sua, iudices jubent sigillare, *cap. post cessionem 7. de probat. l. nec arbit. C. de recept. arbit.* quia iudicandi munus publicum est, *l. quippe de Judiciis.* Contra privata, 24. quando sigillatio à privatis fit, & ideo aliis, quam scribentibus, non solet obesse, nec contra alios probare, *arg. l. 5. 6. 7. C. de probat.*

§. IX. Deinde, sigillum aliud est proprium, aliud commune. De proprio res clara est. Commune est, quod vi 25. munitionis, ad universos spectat, penitus aliter, quam massa communis, quæ esse potest de his, quæ spectant ad omnes, ut singulos, non ad omnes, ut universos, *l. 8. de pact. gloss. in* 26. *cap. cum omnis, de constitut.* Sic communis est stylus & usus, Principum Germaniæ, sigillare uno sigillo, quando scilicet indivisum habent regimen, quale fuit in familia, Serenissimorum Ducum Megapolitanorum, cum divideretur ea domus, in duas lineas: Inter quos hoc, conventionem receptum erat, ut utraque linea commune haberet iudicium provinciale, des
duas

Landes Gerichte / & in eo commune sigillum. A quo, cum esset 27.
ab altero parte recessum, graves inde querelæ, in aula Cæsarea
ortæ suut, nec dum, si recte memini, sopitæ. Commune tale si-
gillum, etiam habent aliæ familiæ Principales, in quibus plures
Principes, eandem Cancellariam vel totum Principatum, pro
indiviso possident, ut Serenissima, Ducum Saxoniorum, fami-
lia. Eodem modo, civitates Hanseaticæ, inter quas quatuor 28.
principales, Lubeca, Colonia, Brunsviga, Dantiscum, quæ,
archivum suum, & conventus locum, Colonia, & Lubecæ
habent, communi, civitatis Lubecæ, sigillo, utuntur. Illud pa- 29.
tet, quòd collegiorum licitorum signa sint, constituere Syn-
dicum, habere conventus, tractatus collegiales negotiorum
communium exercere, arcam communem, gemeine Kade/ habe-
re, & sigillo communi uti. Berlich. decis. 159. Besold. in thesaur.
pract. voc. **Zunft**. n. 14.

§. X. Sigillum porro dividitur in majus & minus, vel, ut
alii rectius volunt, in maximum, magnum & parvum, Kirchn.
lib. 4. de offic. Cancell. c. 2. n. 20.

§. XI. Maximum illud vocatur, quo, plerumque utuntur 30.
Principes vel civitates, quotiescunque res maximi momenti
obsignandæ veniunt, Wehner. pract. observ. vocab. **Insigel**.
Magnum proprie sic dictum, vocant, quo plerumque res,
magni momenti, signantur, quo etiam, in quotidianis ne-
gotiis, Principes utuntur, quod simpliciter **Insigel** nuncu-
pamus, Wehner. d. loc. Usus igitur hujus sigilli majoris, est 31.
in rebus ejusmodi quotidianis, ad præstandam authorita-
tem scripturæ, principaliter vel ad ratificandum, vel ad con-
sentiendum, aut ad confirmandum, aut ad effectus alios.
Mascard. concl. 1302. n. 51. Tali utuntur hi, qui aut jurisdictio 32.
nem habent, aut sunt in dignitate, aut referunt communitatem
vel collegium.

§. XII. Minus sigillum, quod etiam parvum vocari di-
ctum est, Germanis dicitur, **Petttschafft** / & litteris privatis
proprie consignandis, accommodatur. Usus hujus sigilli 33.
est in testamentis à testibus obsignandis, & occludendis
epistolis. Ejus vicem tenet, apud Principem, sigillum secretum

in majori circumferentia, quam annulus, & minore, quam sigillum dignitatis, eoque utuntur in chartaceis edictis & epistolis,
35. Honth. lib. 4. c. 11. n. 15. & 16. Civitates vero Imperiales, quot,
& ad quid, sigilla habeant, ex reformatione Sigismundi manifestum est, ubi sic sancitum legimus: Es soll in dem weltlichen Stat eine iegliche Reichsstadt zwey Insiegel haben / das eine soll besonder das Reich angehören / und das heist sigillum secretum, darumb daß man das mit versiegelt / das heimlich dem Reich zugehören zu thun / als eine Reichsstadt der andern verschrieben wird umb des Reichs Sachen: Das andere Insiegel soll der Stadt Zeichen haben / und damit soll man der Stadt Sachen versiegeln / und des Reichs Sachen. Goldart. part. 1. constit. Imperial. p. 193.

36. §. XIII. Dividitur etiam in proprium & alienum. Constat enim annulo sive sigillo non tantum proprio, sed & alieno, in defectu proprii, si ex voluntate ejus, cujus est, signari posse, §. possunt 7. de testam. l. 22. §. 2. ff. de testam. Honth. lib. 4. cap. 11. n. 69. Ut autem sigillatio ista, quæ alieno annulo fit, vim probandi plenam habeat, ejus mentio & causa, in subscriptione addi debet.

§. XIV. Sigillum publicum, de quo supra, ob varia negotia, quibus adhibetur, aliud est sigillum auctoritatis, ut Imperatoris, Regis, Papæ, Principum & similium: Aliud Solennitatis, ut sigillum testium in testamentis: Aliud testimonialis, l. si qua per calumniam 22. C. de Episcop. & Cler. Aliud consensus, cap. 1. Ext. de procurat. ut, quando agitur de præjudicio sigillantis, Bald. in cap. 2. de fid. instr. Aliud ratificationis, l. 2. C. de rebus ali. non ali. Aliud confirmatorium, cap. inter dilectos 6. §. 1. de fid. instr. Speculat. lib. 2. tit. de probat. §. 3. n. 18. Ne autem, ob tantam sigillorum varietatem, confusio & incertitudo oriatur, necesse est, finem, ob quem sigillum apponi soleat, speciatim exprimere. Et si non exprimatur, videtur apponi ad id, quod natura causæ desiderat, quia ex natura actus, quæ sit voluntas, potest intelligi, Mascard. conclus. 1302. n. 52. dicente. Ratio est, quia quotiescunque, Domini separata ejusmodi sigilla habent, toties ad hoc, ut sigillum, in iis casibus, in quibus alias probare solet, suum obtineat fidem, necesse est, ut
iis

iis casibus, quibus destinatum, addatur, quoniam literis cum
figillo, non creditur in his, quæ aliena sunt, ab officio sigillan-
tis; cum sigilli authoritas restringatur ad causam & officium,
ad quod sigillum destinatum fuit.

§. XV. Tandem, sigillum aliud est consuetum, five solitum,
ad rem deputatum, five destinatum; aliud insolitum. Quò per-
tinet, quòd dicitur literis judicialibus, sigillo consveto non
sigillatis, non credi, cap. significavit, Ext. de appellat.

§. XVI. Cum autem ex tanta varietate sigillorum, ne-
cessario fluat, quodlibet sigillum negotio illi, cui adhi-
betur, fidem facere, non immerito quæritur; An cuilibet, 47.
cui sigillandi jus competit, licitum sit pluribus atque di-
versis uti sigillis: Si mores antiquos respiciamus, non tam
promiscuum eorum usum fuisse, facile apparet. Hodie
vero, inter omnes constat, unum aliquem Principem aut Do- 48.
minum, vel etiam privatum plura & diversa, usibus & negotiis
diversis, destinata sigilla, habere posse, d. cap. significavit Ext. de
appellat. Nicol. Everhard. cap. 12. n. 7.

C A P. V.

Agit de Observatoribus Sigillorum.

§. I.

Intelligitur ex dictis, inde sigilla varia orta fuisse, quod
diversa sint hominum negotia; in quibus, ut omnia,
certo ordine, & indubitata veritate peragantur, necesse
est, ut quidam, quorum fides admodum probata, istis ne-
gotiis præficiantur, & per consequens, si omnibus integram
fidem in negotiis, à se administratis, facere debent, necessa-
rium quoque visum est, ut ipsis aliquid concedatur, per
quod cunctis, atque singulis constare possit, hoc vel illud,
ipsorum autoritate, atque consensu, esse peragendum: hoc au-
tem, nullo modo tam commode fieri potuit, quam ut ad certum
officium, etiam peculiare sigillum simul adderetur: Itaque in
omni Imperio semper receptum; Unde custodes vel observato-
res sigillorum Imperialium Regionum fuisse, vel inde constare
potest, quod priscis, Persarum & Medorum temporibus, Rex
Ahas-

- Ahasverus, annulum manu detractum, primum Hamani fidei tradidit *Esth. cap. 3. v. 10.* post Mardochei *cap. 8. v. 2.* Imo, quod
3. Romanorum quoque ætate, fuerint, qui à secretis, vel à libellis, & epistolis essent & annulorum signatoriorum, epistolis & actis publicis destinatorum, curam haberent. vid. Sveton. *in Tiber. c. 3. n. 31.* Kirchner. *lib. 4. de offic. Cancellar. c. 2. n. 1. & seqq. & c. 3. n. 31.*
 4. §. II. Ceterum palam est, habuisse antiquitus, Reges certos suos sigilliferos, Referendarios, ad quos deferebantur omnia rescripta publica, ut ea, annulo sibi concredito, firmarent ac subnotarent, alias Cancellarii dicti. Sic Trajanum Pompejum, sub Cajo Cæsare militantem, epistolarum, & legationum simul & annuli curam habuisse, autor est Kirchn. *lib. 4. c. 2. n. 4.* Justinianum Imperatorem, Tribonianum sibi sigilliferum elegisse, *ex leg. fin. C. de divers. rescript.* manifestum est.

§. III. Apud Germanos, Archicancellariis, & Cancellariis Imperatorum & Principum, custodia hæc committi solet.

7. De quibus vid. Kirchner. *lib. 1. c. 3. n. 7. & seqq.* Inter hos, excellit Reverendis. Archiepiscopus Moguntinus, inde forsan
8. primum, inter Electores obtinens locum. In Gallia, qui habent signum Domini, custodes sive garde sigillorum & contractuum, appellantur, estque illud administrationi Cancellarii Magni concessum, ac Ludovici Regis beneficio, illustrius redditum, ordinatis, qui ceram, hæreditario jure accommodent. Johan. Bodin. *lib. 3. de republ. cap. 5. n. 303.*

10. §. IV. Quod & postmodum apud civitates municipales, consuetudine introductum, ut certæ personæ eligerentur, quibus, sigillum civitatis concrederetur, quod adhuc, in

II. patria mea, consuetudine viget. Ejusmodi vero sigilla, plerumque vel à Consulibus, sive Duumviris, vel certo uno atque altero Duumvirorum, aut Decurionum custodiri, publice privatimque notum est, idque etiam monet *gloss. in cap. dilecta 14. Ext. de excess. prelat.*

§. V. Cum igitur sigillum, scribente Balduino, *in leg. distrahente 2. n. 1. C. de rebus alien. non al.* possit quidem alicui committi, attamen cavendum esse moneat, cui: cum illud, quod faci-

ciat

ciat commissarius, noceat committenti scienti, licet non subscripserit. Ex hoc consequitur, sigilla, cum primis publica & 13.
authentica, diligentius custodiri debere. Nicol. Everh. cap. 12.
n. 48. § 67. v. non obstat quod.

C A P. V I.

Continens materiam circa quam.

§. I.

Non sufficit scire, qui jus sigillandi habeant, & custodiam sigillorum, sed etiam necesse est adducere res, quæ ex sigillis robur accipiunt. Ex his autem sunt

§. II. 1. Acta publica, cap. cum olim 33. Extr. de offic. ac pot. 1.
jud. deleg. Hæc sub sigillo publico edenda sunt, nec sufficit,
quod Notarius Publicus, eis subscribat, & ita mandari solere,
testatur Julian. Magenhorst. ad Ordinat. Cameral. part. 2. tit. 31.
Hinc speciale est actis judiciorum, ut tabellioni, sine sub- 2.
scriptione testium credatur.

§ III. 2. Apochæ. 3. Contractus, qui per sigillum authen-
ticum, æque ac instrumentum muniuntur, & probantur. Matt.
Wesenb. conf. 1. n. 31. modo etiam appositione perficiantur, 3.
idem Wesenb. conf. 238. n. 11. § conf. 27. n. 153. nec dubium est,
contractus probari per sigilla, ubi deficit tabellio, cap. 2. Extr.
de fid. instr. Verum, in alienandis rebus ecclesiæ, non sufficit 4.
sigillum capituli, sed omnium capitularium subscriptio insu-
per requiritur, Panorm. in cap. 1. n. 4. Imo Clerici, alienatio-
ni rerum ecclesiasticarum, manibus propriis subscribere
debent, nec per alios id fieri potest. Nicol. Everhard. Jun. conf.
19. n. 67. vol. 2.

§. IV. 4. Consilia sive Responsa; Quamvis enim primis 5.
temporibus, illi, qui studiorum suorum fiduciam haberent,
consulentibus, responderent, neque ea responsa signata, i. e.
sigillo obfirmata consulentibus impertirent, l. 2. §. 47. v. § ut ali-
ter, ff. de Orig. jur. & plerumque tantum, Judicibus scriberent;
de Et. l. 2. ab Augusto tamen Imperatore cœperunt habere autho- 6.
rita.

- ritatem, responsa scriptis evulgandi, atque sigillis muniendi.
7. Quale quid & hodie usus servat. Juris Candidati etiam cum Doctoratus gradu induuntur, videntur ideò inter alia annulo donari, ut eo modo jus signandorum Responsorum acquirant.
8. §. V. 5. Depositiones à nobilibus in vim testimonii factæ; Tantæ enim, nobilitas, dignitatis est, ut nobiles, quibusdam in locis Germaniæ, personaliter comparere non teneantur, sed sufficiat, si per scripturam, *unter ihren Pitschafft / und Handschriften /* absque corporali juramento, deponant, & depositionem signatam, Judicis examini, transmittant, quemadmodum in Regno Bohemiæ, in Archiducatu Austriæ, in Ducatu Bavarriæ, receptum esse testatur Gail. *1. obs. 10. in f. & observ. seq. n. 14. ac obs. 101. n. 4.*
10. §. VI. 6. Edicta sive rescripta, quæ annulo obsignantur, uti docet Esth. *c. 8. v. 8.* Verum hæc obsignatio de essentia legis sive edicti non est.
11. §. VII. 7. Mandata procuratorum, in quibus, præter sigillum, & subscriptio requiritur; si autem imperitus sit literarum, Notarii opera, in hanc rem opus est. Berlich. *part. 1. concl. pract. 14. n. 37. & seq.*
12. §. VIII. 8. Privilegia. 9. Recessus Imperiales. Hos, olim, soli Imperatores, sua signabant bulla ac sigillo; postmodum etiam statuum signa, appendi cœperunt, Kirchn. *de offic. Cancell. cap. 2. n. 36. usque ad 61.*
13. §. IX. 10. Transactiones; quæ enim ex his, à partibus subscriptæ, & subsignatæ non inveniuntur, pro completis, regulariter haberi non debent, Matth. Wesenb. *conf. 106. q. 1.*
14. §. X. 11. Testamenta. 12. Breve Testatum: quod est instrumentum publicum, de investitura fœudi, brevibus verbis, subscriptione interveniente, exaratum, Schrad. *de feud. part. 5. cap. 2.* hoc ipsum, si sigillo Domini, sit firmatum, licet parium subscriptione careat, investituram novam probat: modo in eo mentio fiat, hanc investituram, paribus curiæ intervenientibus, factam esse, Schrad. *d. cap. 2. n. 12.*
- §. XI. 13. Res denique, propriæ quavis, non tamen ab alio deten-

detentæ; fiveque obligatæ; l. 2. C. Ut nem. sine jud. auth. sign. reb. vel litigiosæ. His enim, sine iudicis autoritate, sigilla apponi non possunt, & si de facto, ante sententiam apposita fuerint; propria autoritate, quis ea remove potest: non autem post sententiam, quæ in rem iudicatam abiit, ac per appellationem emendari non potest, l. 1. C. d. r.

C A P. VII.

Continet causam Sigilli formalem.

§. I.

UT autem sigillum, ad effectum perducere, nec ullo modo contaminari possit, requiritur, ut ejus formale, necessarium quibusdam requisitis, bene munitum atque roboratum sit; Quod formale, non consistit, ut quidam volunt, in annulo. 1. Quamquam negari non potest, quod quandoque annuli in jure, pro sigillis, usurpentur. Nam quod Legistæ annulum, id Canonistæ sigillum appellant, & sic etiam probatur aliquid ex appositione annuli, sicut ex adiectione sigilli, Mascard. consil. 1302. n. 23. Non tamen exinde sequitur, quod sigillum non sit ratum, nisi annulo insculptum sit; differunt enim ut latius & 2. angustius; signum enim sive sigillum sub se comprehendit annulum, non vero statim annulus, comprehendit omnes species sigilli; quod enim annulo insculpitur sigillum, tantum accidentaliter fit.

§. II. Dissidentes vero potissimum se fundant in l. 22. §. 3. ff. qui testam. fac. cujus verba hæc sunt: *Signum autem, utrum annulo tantum impressum adhibeamus, an vero et si non annulo, verum alio quodam impresso, varie enim homines signant, & magis est, ut tantum annulo quis possit signare.* Sed annulus, eo loco non opponitur instrumento alii, quod sigillum continet, sed instrumento istiusmodi, cui aliud signum, quo, non ad fidem faciendam, sed forte res nostras notandas utimur, impressum, ut præ se ferunt etiam verba: *varie homines signant.* Ut perspicue docet, Dn. D. 5. Struvius, Fautor, Patronus, atque Promotor studiorum meorum, singulariter amandus, Syntag. Jur. Civ. Exercitat. 32. §. 10. vid. l. 21. & l. 4. quemadm. testam. aperiant. Unde eleganter 6. tradit

tradit D. Ludwell. *in commentar. suo ad instit. tit. de testam. ordin.*
quod sigillum non propterea adhibeatur, quia insculptum sit
annulo, sed propterea, quia notam habeat characteristicam &
roboratoriam. Ubi ergo est illa nota, ibi est sigillum, non ha-
bito respectu, ad formam illam accidentalem, quæ non mutat
esse rei.

§. III. Formale igitur, ut recte intelligatur, notari potest,
7. quod quædam sint, quæ, ad ipsam sigilli essentiam constituen-
dam, sint necessaria; quædam vero, quæ extrinsecus ei acce-
dant, adeo, ut nihil quidem, de sigillo participant; nihilomi-
nus tamen, si adhibeantur, aliquid roboris afferant; quo fir-
mior, atque magis stabilis fiat obsignatio.

8. §. IV. *Illæ sunt Impressio, l. 1. §. 2. C. de commun. serv. manum.*
in qua impressione, debent esse vel imago Principis, vel Re-
ctoris, vel arma Regis, aut sigillantis. Item debet continere
9. characteres, seu literas circumscriptas, & convenientes sigillo.
textus est *in cap. significavit Ext. de probat.* Characteres ad si-
10. gilla spectare, vel inde patescit, quod si quis literas, alieno
nomine conscripserit, illisque ceram, loco sigilli, absque tamen
characteris & sigilli impressione, apposuerit, quoniam is scri-
ptor, conatus quidem sit, & falsum facere, non tamen falsum illud
perfecerit, pœnam falsi non incurrat, prout latius defendit Ni-
col. Everh. c. 12. Debet igitur sigillum habere suos characteres,
11. vel saltem literas significativas, aut legibiles, unde innotescere
queat, cujus illud sit, & dicatur. Nicol. Everh. c. 12. n. 3. *Surd.*
decis. 137. n. 8. cap. inter dilectos. Ext. de fid. instr. l. cernimus 20. C.
aqueduct. Ideo, si quis vellet sigillare, instrumento, non habente
characteres, vel literas legibiles, puta corrigia, vel alia re, quæ
12. non sit sculpta ad signandum, non posset, *arg. d. l. 22. §. 4. ff. qui*
testam. fac. potest. Et hinc inferre licet, quod propter defectum
impressionis, sive characteris, impediatur rei essentia, ut cum
13. Mascardô loquar, ita, ut totus actus, ex illo defectu, vitietur,
in primis si figuræ, vel literæ amplius non appareant; nam, ubi
literæ sigilli, non sunt legibiles, & leguntur tam paucæ, ut neces-
14. sario non concludant, sigillum esse illius, cui adscribitur; non
potest dici vere sigillum alicujus, nec per consequens ali-
quam

quam probationem facere. vid. Mascard. *conf.* 1302. n. 53.

§. V. Inter ea vero, quæ non ingrediuntur essentiam sigilli, uti §. 3. *h. c. dictum*, sed saltim, ad nudum externum firmamentum adhibentur, potest esse ligatura. Temporibus enim Neronianis, ad sigillorum fidem, conducere visa est ligatura; Cum enim primum signa ista tabellis imprimerentur, voluit postea Nero, ut lino appenderentur. Sueton. enim in vita Neron. refert, adversus fallarios, tunc primum repertum, ne tabulæ, nisi 16. pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur.

§. VI. De lino quod dixi, ei simile est, quòd hodie, in diplomatibus Regiis, & aliorum magnorum Dominorum servatur, 17. in quibus sigillum Regis. Principis, Ducis &c. serico filo affigitur; ex quo illustrari potest, quod Ulpianus in l. 1. §. 10. *cum seqq. ff. de honor. poss. secund. tab.* ait: Si linum, quo ligatæ sunt tabulæ, 18. incisum sit, si quidem alius, contra voluntatem testatoris, incidit, bonorum possessio peti potest: Quod si ipse testator id fecerit, non videntur signatæ, & ideo bonorum possessio peti non potest. Denique notandum venit, quod Dd. circa sigilla, ut probandi vim habeant, nec suo destituantur usu ac fine, 19. sequentia, impressionis voce, comprehensa requirant. 1. Imaginem quandam vel insignia. 2. Inscriptionem vel literas in circulo. 3. Orbitam. 4. Sigillantis nomen. Mascard. *de prob. consil.* 1302. n. 53. Menoch. *de arb. judic.* q. 113. n. 12. Honthem. *lib. 4. de art. notar.* c. 11. n. 19. & 20.

C A P. V I I I.

Tractat causam Sigilli finalem.

§. I.

Cum omnium, quæcunque suscipiuntur, certus debeat esse finis, nec quicquam, in hac rerum universitate, reperiat, cui non aliquod ultimum sit præfinitum, in quo quiescendum; hunc autem finem, nemo magis feliciter consequi possit, quam si exactè eum cognoscat, ceterum fines quidem varii esse possint, horum tamen omnium, unus principalis, in quem primariò & directò aliqua res collimet: finis sigilli ut nunc expo-

C 3

natur

- natur, ratio instituti efflagitat. Fit autem appositio sigilli eum
3. in finem principaliter, ut fides actorum authenticetur, atque confirmetur, *cap. scripta vero authentica 2. Ext. de fid. instr. Gloss. in cap. pervenit 2. Ext. de fidejuss.*
 4. §. II. Primo enim apponitur, in vim voluntatis, consensus, approbationis, & perfectionis, *l. 8 §. 15. ff. quib. mod. pig. sol. l. 2. C. de reb. al. non alien. cap. 1. de procurat. Mascard. de probat. concl. 1294. n. 26. Nicol. Everhard, c. 12. n. 12.* Ratio hujus
 5. finis principalioris est, quod sigillum, scripturæ sigillatæ confirmationem & sic consensum, gestorum ratificationem, & actus perfectionem sive absolutionem operetur & inducat, *l. 15. §. 1. ff. de testam. milit. Mart. Mager de advocatur. arm. cap. 14. n. 47. 80. 81. 82.* Ut autem sigillatio, vim & præsumtionem habeat approbationis & ratificationis, sequentia diligenter notanda sunt.
 6. §. III. 1. Ut ipse sigillans, scripturam istam viderit, legerit ac intellexerit: non aliis fidem habuerit, *cap. scripta authentica 2. Ext. de fid. instr. l. 2. C. de reb. alien. non alien.* Hæc autem scripturæ lectio & cognitio, in dubio, & quando aliud, ac contrarium ex aliis circumstantiis, colligi non potest, facta præsumitur. *Gabriel. lib. 1. de præsump. concl. 3. n. 28. & 29. Coler. part. 3. cap. 1. n. 130.*
 7. §. IV. 2. Ut pro inducenda obligatione sigillantis, sit appositum, non ad finem testimonii, alioquin, si non tanquam à contrahente, sed tanquam à teste sigillata fuerit scriptura, nihil, ejusmodi sigillatio præjudicabit sigillanti, *l. 6. C. de fidejuss.*
 8. Honthem. *lib. de art. notar. cap. 51. n. 18.* Imo licet præsupponamus, sigillum, voluntate sigillantis, appositum fuisse, tamen hoc ipsum, aliquam obligationem, sigillantis intuitu, non statim importat. Quælibet enim dispositio, ad causam suam finalem restringitur, *l. 77. §. 20. ff. de leg. 2.* Talis causa, esse solet magis authorisationis quàm obligationis: veluti, quando à Senatu, sigillatio & consensus, ob hunc potissimum finem præstatur, ut alicui jus prioritatis, præ cæteris creditoribus, tali hypotheca constitutis, in bonis debitoris competat: sicut semper
 9. in dubio, quando aliud non apparet, sigillum potius autho-

anthonilationis, quam obligationis ratione, processisse intel-
ligitur. Quo spectat communis illa formula, quam communiter
tali casu adhibere solent: *Dasß wir/ als Zeugen/ auf Ersuchen/ dero 12.
Principalen/ unser Pittschafft/ zu Ende dieses Brieffes gedruckt/ und
angehenget/ doch uns/ unsern Erben und Nachkommen/ ohnschädlich*
Ex his igitur sequitur, quod, cum ex multis & diversis causis,
sigillum possit apponi, in literis necesse sit, semper exprimere, 13.
cujus sit sigillum, à quo appositum, & propter quod apponatur,
& si non exprimatur, intelligere debemus, fuisse appositum ad
id, quod natura causæ desiderat, quia ex natura actus, datur 14.
voluntas intelligendi, sunt verba Mascard. *concl. 1302. n. 52.*

C A P. I X.

Continens Sigilli effectum.

§. I.

Quaquam sigillum, in se & absolute consideratum, nullius 1.
plane effectus videtur, & tanquam res mortua per se &
natura nihil operari valet; nihilominus, accedente jure &
consuetudine, in tantum pervaluit, ut nonnullis in rebus, non
solum scripturæ æquiparetur, sed & tanquam ultimum, in rebus
agendis, adhibeatur. Quæ cum ita sunt, oportet, ut quædam 2.
sigillo accedant, quorum beneficio, id, robur, quasi animam
accipiat. Quænam verò sint, quibus indutum sigillum tales
& tantos effectus producere possit, ex sequentibus cognosce-
re licet.

§. II. 1. Itaque debet esse integrum, nec ulla ex parte ru- 3.
ptum, perfractum aut obtusum: nam si ita se non habeat, ut
character exacte non possit cognosci, & literæ, quæ necessario
in illo debent esse, tam mutilatæ sint, ut legi non possint, nihil 4.
valet: *legi autem juxta leg. 1. ff. quæ in testam. del. ind.* accipien-
dum est, non pro intelligi, sed pro oculis perspici, quæ scripta
sunt; cæterum si extrinsecus intelligantur, non videbuntur legi
posse, *cap. inter dilectos Extr. de fid. instr.* Nisi, quod bene notan-
dum, legi non possit ex nimia antiquitate.

§. III. 2. Debet esse verificatum atque probatum: si enim 5.
hoc est, tunc omnino fit authenticum, & plenissimum sortitur
effe-

6. effectum probandi. Probatio vero ista potest duplex esse, vel authentica, vel non authentica: authentica est, quæ fit per recognitionem, quando is, contra quem producitur sigillum, illud agnoscit, & expresse affirmat, suum esse, & quod voluntate sua sit
7. appositum. Potest autem recognitio, etiam duplex esse, vel expressa, vel tacita, illa est, quam jam explicavi; tacita est, quando ille, contra quem sigillum producitur, per contumaciam recognoscere non vult, aut demonstrato non contradicit, tunc enim contra illum, tanquam ab ipso recognitum esset, pronuntiatur: Ratio, quia is qui tacet, consentire videtur *l. 142. ff. de R. 7.*
9. §. IV. Non authentica vero probatio potest esse, quæ non à persona illa, contra quam producitur sigillum, petita est, sed extrinsecus assumitur, idque commodissime fit, vel per testes, vel
10. per comparisonem. Per testes, qui aliquem sigillare viderunt, Mascard. *de prob. concl. 1302. n. 55.* per ipsius sigilli comparisonem, *sec. l. 20. C. de fid. instr.* Quæ, ut eo melius rectiusque peragi queat; eum in finem, editio sigilli peti potest,
11. quo edito, etiam aurifabri, & qui sigilla sculpunt, adhiberi debent, ad hoc, ut sigilla conferant. Et si sigillantis sigillum esse appareat, vel, quia in illo, ejus cernantur arma, vel literæ idem docent, aut alio simili modo constat, tunc, non obstante sigillationis dubitatione, scriptura erit valida. *Nov. 73. cap. 7.* Cum
12. præsumtio etiam dicatur quædam probatio, donec contrarium doceatur, & si juris sit, evidens, patens, certa & liquida
13. sit probatio *l. 74. de leg. 1.* Hæc autem sigillorum comparatio, cum sit subsidiarium remedium, ad eam deveniendum non est, nisi aliis deficientibus remediis ordinariis.
14. §. V. His ergo requisitis, si munitum est sigillum, habet i. vim subscriptionis, uti videre est in mandato, Syndico vel universitatis procuratori, dato, ibi enim nudum sufficit sigillum absque ulla subscriptione munitum, vid. Dn. D. Struv. *Synt. Jur. Civ. exerc. 7. §. 42.* Ut & in delegationibus, & subdelegationibus, per sola sigilla judicum, ordinandis, quæ per sigilla delegantium probantur, i. e. quando delegatio facta est per aliquam scripturam, quæ scripta est manu alterius, & in ea reperitur appositum sigillum illius, qui delegare potest: tunc, licet non appa-

appareat, scriptam esse delegationem manu illius, qui delegandi habet potestatem: attamen per illud solum ejus sigillum, delegatio probatur. Mascard. *concl.* 491. n. 1. ratio est, quia delegatio-16.
nes non sunt acta publica judicii, cum sine causæ cognitione, & partibus præsentibus, fiant, idem Mascard. Limitatur tamen (1.) in iis, quæ specialem requirunt commissionem; quippe-17.
quæ ex solo sigillo non probatur. (2.) In jurisdictione delegata, quam sigillum non probat. (3.) Non procedit, quando-18.
producing & ostendens hujusmodi sigillum, est persona domestica, vel habitat una cum eo, cujus asserit esse tale sigillum, Mascard. *de prob.* 19.

§. VI. Maximum effectum habet in contractibus, quia sigillatio, contractus perfectionem, ejusque conclusionem denotat, per quam, quis in contenta instrumenti, super hoc scripti, consentire præsumitur, l. 20. §. 1. ff. *de testam. mil.* 20.

§. VII. 3. Majorem fidem facit in testamentis. 4. Est infallibile indicium collegii à Superiore approbati, cum non liceat omnibus coire in corpus & constituere ordinem, sive collegium, nisi specialiter id impetratum sit à superiore, certis datis signis. Qualia sunt *ein gemeine Lade/Siegel/und Articul's Brieff.* 21.

§. VIII. 5. Facit præsumtionem, aliquem esse de ea familia, cujus sigillum, ejusque characterem, imaginem, & inscriptionem docere vult, sicuti quendam, qui se, pro Comite Flandriæ Baldewino gesserit, argute fecisse scribit, Abbas Svadens. *in chron. in anno Christi 1224. pag. 205. & seq.* 22.

§. IX. 6. Facit præsumtionem dominii; Signa enim & sigilla ballis mercatorum apposita, dominium eorum arguunt & indicant, indeque eorum esse præsumuntur, quorum sunt signacula, quia dominium transferunt, arg. l. 14. §. 1. ff. *de peric. & commod. rei vend.* 23.

C A P. X.

Continet Sigilli publici effecta.

§. I.

DICTUM fuit supra, in cap. 4. §. 2. quod divisio sigilli vulgata sit, in publicum atque privatum; quid etiam utrumque sit, 1.
D fatis

fatis superque ibidem tractatum fuit. Restat ergo, ut videamus, quidnam utrumque, ratione effectus habeat peculiare.

2. § II. Publicum sigillum hodie de Jure Canon, & totius orbis consuetudine publicè recepta, sine alio adminiculo ac subscriptione, communiter experientia quotidiana sic comprobante, plenam inducit probationem, cap. post cessionem 7. Ext. de probat. cap. 2. de fid. instr. Mascard. concl. 1302. n. 11. & 34. & 44.
3. Quæ sententia, optimas habet rationes, tum, quod æquum sit, tabulis consignatis credere, tum, quod in casu, quo Principes sigillant, dum Principum arcana, omnibus patere non debent, solum eorum sigillum sufficere, invaluit: Tum, quod sigilla personarum, jurisdictionem habentium, plenæ, & magnæ efficacæ esse dicantur in probando, & ubi deficiat Tabellio, majorem ipsa scriptura fidem faciat, Matth. Wesenb. *conf.* 135. n. 10. Hinc
4. vulgo dicitur: Literæ sigillo publico confirmatæ, probationem probatam, & non probandam inducunt, nec requiritur alia probatio per testes, & comparationem literarum, sed tota vis in probanda sigilli veritate, posita est. Verum cum mica salis hoc
5. intelligendum venit, & bene notandum, quod hæcce omnia procedant, quoad sigillantem & contra eum, & in ejus præjudicium, non quoad tertios. Et sic obtinet sine dubio, ut sigillum Ducis, vel alterius Principis, recognoscentis superiorem, non possit aliquid pro se, & contra alium probare.
6. § III. Ampliatur autem i. de tertio, ut procedat, non tantum, si sigillaverit ille Ordinarius vel superior, ad quem spectat sigillum, sed etiam si sigillum apposuerit is, cui, ab Ordinario id est concessum, quia, qui commisit sigillum alicui, præsumitur
7. consensisse his, quæ, mediante sigillo, facta sunt, prout nuncio, sive cursori citanti creditur, qui sigillum vel anulum judicis habet, *it. gloss. in cap. significavit Ext. de appellat.* Nam id fecisse Dominus videtur, quod per alium fecit, *l. quod jussu 80. ff. de R. 7.* Nicol. Everh. *cap. 12. n. 42.* (2.) Ampl. si nimirum ante tam longissimum tempus sit appositum, quod per se instrumentum publicum faciat, cui plene creditur & subscriptione plus operatur, Matth. Wesenb. *conf.* 12. n. 3.
8. § IV. Quoniam vero, ob nimiam generalitatem, huic assero.

fero principali, quædam limitationes competunt; non incongruum erit, si in isto limitando, aliquid operæ ponatur. Limitatur ergo 1. quod solum sigillum publicum non sufficiat, ubi specialis designatio vel subscriptio, pro forma, ad solennitatem actus requiritur, arg. *l. cum antiquis 28. §. 1. C. de testam.*

§. V. Limitatur 2. Si consuetudo vel stylus fori, aliud requirat. Etenim quandoque plura sigilla scripturæ adhibentur, & veritatis gratia, & ut tantò minor, relinquatur erroris, & falsitatis committendæ, occasio. Unde literæ sigillatæ, à pluribus Prælati, atque sic etiam à duobus (cum pluralis numerus in duobus verificetur *l. 12. ff. de testibus*) plenam faciunt probationem, quòd non aliunde descendit, quam ex eo, quod unum sigillum, alteri præbeat testimonium, & omnem suspicionis occasionem removeat, argumento *§. sed hodie 2. Inst. de adopt. authen. itaque C. commun. de success.* Et si plures Prælati, authentica sua sigilla apposuerint, tunc tales literæ plane probent contra tertium, etiam in negotio, non pertinente, ad officium sigillantium, per *cap. cum olim Ext. 15. de dol. & contumax. ut & in cap. post cessionem de probat.* Ratio, quia singulorum Prælatorum sigilla, singula, semiplenas faciunt probationes, siue præsumptiones; quæ si jungantur, unam, ad eundem finem tendentem, probationem plenam, & integram faciunt, *Dd. in leg. admonend. 3. ff. de jurejur.* Et ita, de consuetudine plurium locorum, ut & ipsius Germaniæ, observari, testatur Nicol. Everh. *cap. 12. n. 62. in f. & n. 39.*

§. VI. Quâ occasione notandum, neq; Cæsareo sigillo, auctoritatis atque juris quicquam detrahi, neq; officium Cancellarii Imperii imminui, si decretis consensu statuum ordinatis, obligationibusque publicis, majoris stabilimenti atque roboris causa, Statuum ceræ & imagines addantur. Pluribus Kirchner. *lib. 4. de offic. Cancellar. cap. 2. n. 60.* Nihil autem esset, si applicare velis, quoad Senatum, Consilium, vel Cameram, quæ unicum sigillum apponit, & quidem Imperatoris, quia literæ & expeditiones, fiunt sub nomine Principis, ex voto Senatus, vel Consilii, aut Cameræ, & sub nomine Principis, pariter sententiæ proferuntur. Atque ita in omnibus Magistratibus su-

premis, qui sub nomine Principis judicant, observari solet.
20. §. VII. Limitatur 3. ut non procedat, si sigillum quidem sit
authenticum, sed non tale, quod ad hujusmodi negotia, & offi-
cium fuerit deputatum, nam tale sigillum non probat, quia ejus
21. vis ac potestas, ad causam & officium, ad quod fuit destinatum,
restringitur *cap. significavit 48. Ext. de appellat.* Sublimitatur
autem (1.) quando in subscriptione, vel alia scriptura, nomina-
22. tim expressum est, tale sigillum fuisse appositum, propter alte-
rius sigilli defectum, quod tunc præsto non fuerit, (2.) si forte
23. per testes aliter probetur, quod ille, cujus erat sigillum, id scri-
pturæ scienter apposuerit. Tunc enim nec mandatum deficit,
nec de errore aut fraude suspicari licet, cum in claris, nulla de-
beat esse hæsitatio, *l. 3. C. de liber. præter.*

24. §. VIII. Limitatur 4. Si sigillum, in sua forma quidem
authenticum appareat, sed in loco, ubi producitur, sit incogni-
tum: vel tantum aliquo modo, & non perfecte notum, fidem non
faciat, *cap. quod super 7. de fid. instr.* Atque hæc limitatio, tum de-
25. mum procedit, si sigilla penitus sunt ignota, ut cognosci neque-
ant, sintne sigillantium nec ne: secus est, si sigilla non penitus
incognita sunt, sed saltem, qualis qualis, habeatur eorum co-
gnitio; tunc, si agatur de speciali alterius præjudicio, sigillis il-
lis, haud omnino notis, fides non habetur. Etenim, quoties de
alterius præjudicio agitur, regulariter, probationes claræ, &
26. necessario concludentes esse debent, *cap. in presentia Ext. de
probat.* (2.) Etiam non locum habet, in instrumentis antiquis,
quantumvis de longinquo loco productis, quia illa literis testi-
27. monialibus non indigent, & pro tali instrumento, non pro can-
cellato, regulariter præsumitur. Ut vero, talia instrumenta,
propter antiquitatem, probent, tria necessaria sunt, (1.) ut
28. scriptura posita fuerit in archivo, inter scripturas authenticas,
& ut inde sit deprompta. (2.) Ut archivo præsit Officialis pu-
blicus. (3.) Ut archivo & literis inde depromptis, semper fides
adhibita fuerit.

§. IX. Limitat. 5. In scriptura, si dicatur quidem, sigillum
29. authenticum appositum fuisse, sed tempore productionis, si-
gillum amplius non extet; & licet appareat, sigillum literas ha-
buisse

buisse, tamen eis non creditur, propter sigilli defectum, utpote scriptura, eo casu, omnino privata existente, per cap. 2. & cap. inter dilectos de fid. instr. Ex his inferre licet, quod defectus formæ, impressionis sive characteris, rei essentiam impediatur, ut actus, sine illis factus, non valeat, uti supra cap. 7. §. 4. n. 13. dictum est. Sed notandum, quod aliud sit in scriptura, sive instrumento per se publico, ad hoc, ut defectus sigilli, non æque hoc, atque privatum vitiet: quin, si alias scriptura, per se publica est, suum merito retinebit vigorem: ratio potest esse, quod ea, quæ ad majorem cautelam adhibentur, instrumentis non noceant, l. 17. C. de testam. l. 6. §. 1. in f. ff. de negot. gest. tum, quod ea, quæ tollendæ dubitationis causa, contractibus inferuntur, jus commune non lædant, l. 81. ff. de R. 7.

§. X. II. Effectus potest esse, quod sigillum publicum & authenticum, contra sigillantem probet, neque solum contra eum, sed & contra ejus successores: sigillum enim publicum, generali consuetudine, non solum plenam & indubitam fidem facit, contra sigillantem, in ejus præjudicium, sed etiam contra ejus hæredes, qui, cum defuncto, ejusdem personæ vice funguntur Nov. 48. in prin. Unde melioris conditionis esse non debet, quam prædecessor, à quo jus & causam habet, l. 13. §. 8. C. de judic.

§. XI. III. Quod sigillum, quantumvis authenticum, pro sigillante, in ejusque negotiis propriis nihil probet, Mascard. concl. 1302. n. 4. ratio est, quia sigillando, quis pro se ipso, testificari videtur, quod omni jure prohibitum est. l. omnibus 10. C. de testib. Sicut enim notarius, in causa sua propria, instrumentum publicum conficere non potest, ut in sui favorem valeat, bene autem contra seipsum, ut ex eo probetur esse obligatus, Nicol. Everh. cap. 2. n. 180. Ita etiam sigilli authentici appositione, in suum commodum, contra privatum, non potest quis authenticam, in causa sua propria, facere scripturam, tot. tit. C. ne quis in causa sua jus. Quod tamen, secundum aliquos, limitationem habet in Imperatore, Rege &c. (non etiam Marchione, Comite &c. superiorem recognoscente) qui, sicut in causa propria judicare potest l. 41. ff. de hered. i. st. l. 3. ff. de his qua in te-

Nam. del. §. fin. in f. 7. de vulg. subst. Ita quoque sigilli sui impressione, scripturam authenticam, etiam in propria causa, facere potest, quod Nicol. Everh. *cap. 12. n. 23.* valde notabile esse scribit.

38. §. XII. IV. Quod scriptura, quamvis privata manu scripta, sigillata tamen sigillo alicujus Ordinarii, contra tertium plene, in pertinentibus ad officium sigillantis, probet, etiam si nulli testes subscripserint, *cap. 2. Ext. de fid. instr.* ratio est, quod, sicut subscriptio literas, privata alterius manu scriptas, autorizare dicitur, ita quoque sigillatio. Hoc tamen non aliter intelligendum, quam, si sigillum appositum sit super his, quibus inventum, & ad quæ ordinatum est, *cap. significavit 48. de appellat. arg. leg. fin. de offic. assess.*

40. §. XIII. VI. In his, quæ aliena sunt ab officio sigillantis, non creditur literis aut scripturis, quantumcunque authentico sigillo communitis, in præjudicium tertii, absque subscriptione testium, *arg. cap. 2. de fid. instr.*

C A P. X I.

Continens privati Sigilli effectum.

§. I.

1. **P**ublicorum sigillorum effectu perspecto; veniendum nunc est ad effectum privatorum. Habent autem hunc effectum, quod intensius de consensu, intentione & approbatione ipsorum contrahentium, actusque complemento, constat, nec pars sigillans, contra quam plene probat, vel nullo modo, vel saltim difficiliter, docere contrarium potest. Declaratur autem hæc assertio, ex ratione finis, cujus gratia est appositum sigillum. Nam, si ad finem testimonii, non probat contra sigillantem, nec quantum ad vim & actus gesti effectum præjudicat, *l. 34. §. 2. ff. de legat. 2.*

3. §. II. 2. Sigillum idem operatur, quod alicujus privati hominis scriptura, vel subscriptio, *l. 2. C. de reb. alien. non alien.*

4. §. III. 3. Sigillum, licet sit privatum, tamen multum com-
probat, scripturæ probationem, contra scribentem & sigillantem, *l. 2. C. de reb. alien. non al. l. 22. §. si quis ff. de testam.* Mascard.
de pro-

de probat. concl. 1302. n. 43. Ampliatur etiam, ut, si quis scripturam alienam; sive alterius nomine confectam, suo proprio sigillo obfignet, tunc talem sigillationem præsumtionem faciat, contra sigillantem, quod contenta scripturæ approbaverit, limitatur autem, quoad plene probandum. Nam hæ scripturæ privatae, per se solæ, contra scribentem, plenam fidem non faciunt, *l. 5. l. 13. § 7. C. de probat.* Etiam si sigillatæ & subscriptæ sint, nisi per scribentes & sigillantes testesve fuerint recognitæ.

§. IV. 4. Sigillum privatum, alicui scripturæ appositum, pro tertio, aliquid contra tertium nihil probat *cap. 2. Ext. de fid. instr.* Limitatur autem (1.) Nisi sit consuetudo, qua privatis etiam sigillis, pro tertio contra tertium credatur. Sicuti fit, in multis locis Germaniæ, ubi honestioribus personis, quas propterea *Siegelmässig* vocant, & præsertim in aliqua dignitate constitutis fides habetur, de quâ re aliquid supra dictum. *Wehner. pract. observ. voc. Siegelmässig ubi ex ordinat. Provinc. Henneberg. part. 2. tit. 1. cap. 1. fol. 7.* requirere fert: *Daß im Hoffgericht zu Schleusingen der Hoff Richter von Adel und Adeltlicher Geburt: Im Landgerichte aber der Land Richter Siegelmässig seyn sollen.* Tunc enim talis consuetudo servanda est per ea, quæ habentur *in cap. cum dilectus Ext. de fid. instr.* Unde *Mascard. de prob. concl. 627.* scribit, quod, ubi alias non crederetur plene sigillo, tamen ei plenam fidem habendam, si hoc esset in more positum. (2.) Limitatur, quando quis in iudicio, mediante iuramento, sigillum recognovit, tunc enim ex hoc, tanta oritur probatio, quantam facit quilibet alius testis unicus, cum iuramento deponens, h. e. semiplenam; modo alias testis omni exceptione sit major, juxta *cap. sicut consuetudo 2. Ext. de probat. § secundum Dd. in l. admonendi ff. de jurejur.* 3. Limit. si constet, sigillum mandato ejus, contra quem producit appositum fuisse, tunc enim contra ipsum plene probat *Nicol. Everh. e. 9. n. 182.*

C A P. XII.

*Continens effectum utriusque Sigilli
publici atque privati.*

§. I. Au-

§. I.

- A**Udivimus hactenus, quosnam effectus habeat potissimum, sigillum publicum, quosnam privatum, restat ut & eos ponderemus, quos utrumque, tam publicum quam privatum
1. habeat communes, quorum 1. potest esse, Quod omne sigillum plene probet, in præjudicium illius, cuius est. Imò hodie, sigilla probant contra sigillantem ejusque successores, ex consuetudine publica, vid. l. 2. C. de reb. alien. non al. Matth. Wesenb. consil. 11. n. 8. & cons. 78. n. 4. vide supra cap. 10. §. 10. Potest autem li-
 2. mitari (1.) quando sigillans, non ad dispositionem & substantiam actus, & ut debitor ac fidejussor, sigillum apposuit, l. 2. C. de reb. alien. non alien. sed ut testis, & ad fidem testimonii signavit
 3. l. Cajus ff. de pignor. (2.) Limit. quando adest sigillum privatum, sed non apparet, quod de voluntate sigillantis fuerit impressum, nam, tunc utrumque requiritur, sigillum & subscriptio,
 4. (3.) Lim. In alienis, ab officio sigillantis, in quibus, non creditur solo sigillo, absque testium adminiculo, sicuti sine his, fides habetur sigillo, in pertinentibus, ad sigillantis officium, Mascard. concl. 1302. n. 27.
 5. §. II. 2. Quod omne sigillum, quod non satis se ostendit, in forma impressionis, vel cujus literæ, non satis perspicue apparentes, legibiles & intelligibiles sunt, sigillum dici non mereatur, nihilque probet. cap. inter dilectos 6. Ext. de fid. instr. Dicuntur autem sigilli literæ non legibiles, etiamsi omnes tales non sint, sed legantur ita paucae, ut necessario non concludant, sigillum esse illius, cui adscribitur, Nicol. Everh. cap. 12. n. 54.
 6. Præsertim, si grave & speciale præjudicium partis subsit; quo casu, probationes, necessario concludentes, requiruntur, cap. in
 7. presentia de probat. Limitatur vero (1) nisi sigilla illa obscura,
 8. sint recognita & agnita. (2.) si contra sigilla hæc, ut manca, non fuerit exceptum, tunc iis creditur.
 9. §. III. 3. Licet alias sigillum proprium non probet, tamen contra sigillantem, qui se sigillasse fatetur, fidem facit l. si procuratori ff. de procurat. & in dubio, non solum semiplenam facit probationem, ut sit delationi juramenti locus, sed inducit quoque præsumptionem actus veri, & consensum ejus, cujus nomine
- sigil-

figillatum, nisi contrarium probetur, Matth. Wefenb. *conf.* 178.
n. 42. & 43.

§. IV. Tandem, figillum multum operationis habet, ex *12.*
consuetudine & stylo curiæ; quod tum demum procedit, si hu-
jusmodi consuetudo, debito modo non solum sit allegata, sed
etiam probata; alias non relevat. Uran. *conf.* 55. n. 9. tom. 2.

C A P. XIII.

Continens Accidentia Sigilli.

§. I.

Satis superque, ut mea quidem fert opinio, audivimus, quæ-
nam maximè requirantur ad sigillum, ut omnibus nume-
ris absolutum, plenissimum effectum, in producendis instru-
mentis habeat; Ex quibus simul colligere licet, quod tam ne- 1.
cessaria sint, ut si horum aliquid desit, nihil habeat roboris: se-
quitur igitur, ut & eorum habeatur ratio, quæ, non ad essen-
tiam ipsius constituendam, requiruntur, sed illi tanquam mi- 2.
nus principalia accedunt, adeo, ut nihil intersit, adsint, necne.
Quorum 1. potest esse locus; nihil enim interest, principio 3.
instrumenti, latere an sine apponas. Quanquam quidam vo- 4.
lunt, esse de natura sigillorum, ut in fine scripturæ apponan-
tur, & hoc probare conantur ex *leg. hac consultissima 21. C. de*
testam. l. 8. C. qui testam. fac. l. subsignatum ff. de V. S. Sed si hoc 5.
in se absque consuetudine considerare velis, nihil interest,
modo instrumentum factum sit adhibito sigillo i. e. sigillatum
esse appareat, sive in latere, sive in fine pendeat, vel alio modo
instrumento adhæreat. Usitatus ergo locus, quo sigillum ap- 6.
ponatur, esse debet is, cui consuetudo dat authoritatem.

§. II. 2. Si cum plurimorum sigillorum fiat appositio, non 7.
inordinata debeat ea esse; Hinc in sigillando, & subscribendo,
quædam occurrit præcedentia, dum major minori præcedere
debet. Ex quo fit, ut scriptura & ordo probet, illum, qui poste- 8.
riori loco scriptus est, minoris esse dignitatis illo, qui prio-
ri loco scriptus reperiatur, textus est expressus *in leg. 1. ff. de*
alb scrib. In genere enim ita receptum est, ut digniores & se- 9.
niores, primo loco in consiliis & instrumentis, subscribant

E

Gloss.

*Gloss. in cap. cum olim de consuetud. Goldast. de seniorat. lib. 1. cap. 23.
Vid. Grot. de J. B. & B. lib. 2. c. 5. §. 21.*

10. §. III. 3. Accidit aliquid sigillo, ratione formæ extrinsecæ; nihil enim refert, qua forma sigillum sit indutum rotunda, oblonga, quadrata, an rutali, quali in sigillo suo utitur Senatus Jenensis, an ovali, nihil interest; varie enim homines signant, ut supr. in cap. 7. §. 2. pluribus dictum fuit.
11. §. IV. 4. Ratione finis sigillo etiam potest aliquid tanquam accidens accedere, v. g. si non eum in finem adhibetur, ad quem, sive propter quem, primario fuit inventum atque introductum, quod fieri solet e. g. in solennibus sepulturæ Imperatoris, Regis, vel Principis, Comitis &c. ubi in processu lugubri, nonnunquam sigillum à Magnate quodam Imperii, plerumque autem à Cancellario, præferri solet, ad magis ostendendam pompam atque amplitudinem.

C A P. XIV.

Continens Affinia Sigillorum.

§ I.

CUm quædam sint, quæ effectus sigillorum habere videantur, ipsa tamen propria & in se considerata, sigilla non sint, nihilominus tamen affinitatem quandam, cum ipsis, habeant; operæ pretium arbitror, ut ad ea quoque convertatur calamus, quo natura eorum constare possit. Sunt itaque insuper adhuc alia signa, quibus ea, quæ nostra, aut nobis commissa sunt, ne alienentur vel fraudentur, aut ut cognoscantur, signamus. Et quidem sequentia.

3. §. II. 1. Ratione materiæ, ut: creta, carbo, bolus, cerussa, & alii colores, quibus signamus: aut alicui materiæ imprimendo, aut urendo, aut stampando, aut incidendo; stampantur metalla, inciduntur aut inuruntur dolia, & vasa aliaque lignea, ædium supellectilia.
4. §. III. 2. Ratione formæ, veluti Instrumentum, in quo quædam literæ, per medium inciduntur, & una pars datur depositario, altera deponenti. Huc etiam spectant cifrae ut: quando C. ponitur pro centum, Mascard. de prob. concl. 288. n. 2.

Item.

Item merchæ sive mercantiæ, quibus negotiatores in ballis u- 6.
tuntur, item quibus utuntur nemophylaces in sylvis, die Wald-
zeichen/ derer die Forstmeister sich gebrauchen. Simili modo, huc
referri possunt etiam illa, quibus utuntur opifices, in operi- 7.
bus à se exasciatis, e. g. aurifabri, pictores, latotomi &c. Hic
potest oriri quæstio: An eo ipso, quod res aliqua, puta equus,
bos, ovis &c. nostro reperiatur signo signata, exinde statim no- 8.
stra esse probetur? Ita volunt quidam Dd. moti *arg. leg. stigmata*
C. de fabricens. cum fabricenses ex signo brachii imposito, lati-
tantes agnoscantur. Verum non puto, plenam ejusmodi si- 9.
gnum habere probationem; alias enim idem esset cum sigillo,
quæ tamen longe inter se differunt: aliqualem autem præsum-
tionem inferre, negari non potest, imprimis si cæteræ circum-
stantiæ accedant, ex quibus præsumtio augeatur; alias 10.
enim facile fraus committi possit. Deinde, tale signum non
videtur necessario concludere, rem statim nostram esse, si ha-
beat istud signum appositum; quandoquidem, non semper eo 11.
animo apponitur, ut res nostra sit, *l. 2. C. ut nemin. lic. fin.*
jud. auth. veluti si emptor signet rem emptam, ne submutetur,
l. 1. §. 2. ff. de peric. & com. rei vend. Itaque, uti dictum, licet non
sit plena probatio, nihilominus tamen præsumtio, *l. quero §. 12.*
fin. ff. de edil. edict.

§. IV. In §. antecedente, dictum est, quod plerumque opi-
fices, in rebus à se efformatis, suis utantur signis. Quæri ergo 13.
potest, an artifex excellens alterum artificem ejusdem artis,
possit prohibere, suo signo uti, quo ipse utitur? R. affirm. ratio
est, quia salutis & utilitatis publicæ interest, ne alius, artis non 14.
æquè imperitus, tali signo, ad confusionem operis utatur, ar-
gum. *cap. nonnullis 15 in princ. Ext. de Jude. Fac. L. pen. v. uni-*
versos autem C. de aquæ ductu lib. XI. Ubi Zeno Imperator sancit, 15.
ut aquarum custodibus, quos hydrophylacas vocant, quod
omnium aquarum Regiæ urbis, custodes deputati sint, singulis
eorum manibus, felix pietatis Imperialis nomen, impressum esse
debeat, ut ad hujusmodi notationem, omnibus sint manifesti.
Bonus adhuc esse videtur textus, *in cap. si iudex 12. de sentent. ex-*
communicat. in 6. Ubi Bonifacius VIII. Papa, post jura civilia 16.

- supra adducta, ita loquitur; Justum est enim, ut ipse talis, quem gestat ex habitu, (quousque appareat aliud) præsumatur, qualis is esse, cujus fert habitum, comprobatur. Ex stigmate
17. namque consveto, Fabricensibus impresso, latitans fabricensis agnoscitur, isque status alicujus esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur.
18. §. V. Nec est, si quis forsitan putaret, hoc cuique esse liberum, signum vel sigillum suum, sicut nomen mutare, *l. un. C. de mut. nom.*; & contra hoc vel illud sibi rursus assumere. Nam, licet
19. multæ res, per se indifferentes initio sint; tamen si concurrat æmulatio, vel interdictum, non amplius habentur in numero licitorum; exemplum est in vestibus holosericis, ædificiis *l. 2. C. de vestib. holocer. l. un. C. nulli licer. in fren. Carpzov. in decis. voc.*
20. æmulatio. Unde illum, qui invaserat in aliena insignia, suæque genti incongrua, amarè ultus est Poëta:
- Redde aquilam Imperto, columnis redde columnam,
Urfinis urlam, sola catena tua est.
21. Hinc esse etiam arbitror, ut & falsi teneantur illi, qui aliena insignia sibi falsò assumunt, Carpz. *prax. crim. p. 2. n. 32. § 39. l. 27. §. 2. ff. ad leg. Corn. de fals.* e.g. si quis, alterius alicujus sigilli be-
22. neficio, se pro aliquo nobili, vel dignitate quadam prædito, probare vellet, recte, tanquam falsarius habetur, & pœnam falsi incurrit, & ab illo, cujus insignia assumpsit, actione injuria-
23. rum conveniri potest, Id. Carpz. *alleg. loc.* Ubi tamen, hanc infimul addit limitationem, si nimirum cum damno, & injuria alterius, hanc sibi dignitatem arroget, actumque, ejusmodi di-
24. gnitati convenientem, celebret, eoque homines fallat; solis namque verbis, non subsecuto aliquo effectu, mendacium, non vero falsum committitur, *l. 23. ff. ad Leg. Corn. de fals.* Et quod
25. ejusmodi homines sint, & fuerint, qui se, pro aliis, admodum speciose probare annexi sunt, elegans exemplum vid. apud Tacit. *lib. 2. annal. cap. 39.*

CAP. XV.

Continens Contraria Sigilli.

§. I. Dictum.

§. I.

Dictum est supra in *cap. 9. §. 3.* quod omne sigillum, ut effe-
ctum sortiatur, debeat esse verificatum. Manifestè igitur
inde argumentari licet, quod sigillum, hac qualitate destitu-
tum, nihil omnino probet, & per consequens, omni privetur
effectu, & pro falso & suspecto habeatur. Ut ideo nihil ma-
gis contrarietur vero sigillo, quam falsitas, idque, quo magis
manifestetur, ex principiis utriusque, clariùs deduci potest.
Nam ad omne verum sive authenticum sigillum requiritur, ut
consensu ejus, cujus est, appositum sit; quod in falso, omnino
deficit, & ideo nihil potest efficere, sed tanquam res mortua,
nihil operatur. Deinde omne sigillum si vere probare debeat,
cum scientia ejus, cujus est, apponi debet; hoc autem cessat in
falso, nam illo ignorante apprimitur.

§. II. Ex quibus, non incommode sigillum potest dividi in
falsum & suspectum; illud est, quod aperte falsitatem præ se fert,
& omnibus constat, hujus, vel illius non esse, nec volente, & sci-
ente eo, fuisse appositum, v. g. quando instrumentum est sigilla-
tum ab eo, qui tum temporis, non habebat sigillum, vel eo uti
non poterat, Matth. Wesenb. *conf. 178. & conf. 238. n. 13.* vel si tale
sit sigillum, quod nullum habet characterem, neque literas le-
gibiles.

§. III. Suspectum vero est, quod non quidem adeo mani-
feste apparet, falsum esse, nihilominus tamen suspicionem mo-
vet, si una atque altera circumstantia accedat, ut si sigil-
lum, non justo ordine, & non legitimo modo, in instru-
mento, de quo agitur, appensum fuerit, vel, si non congruat, in
sculpturi, dignitati sigillantis, *cap. inter dilectos Ext. de
fid. instr.* non enim præsumitur, sigillum fuisse illius, cui ad-
scribitur, si sibi non convenit. Nicol. Everh. *c. 12. n. 54.* vel,
quando sigillum sive cera ejus non est integra, vel à muri-
bus corrofa, enormemque patiatur fracturam, ita, ut ex re-
siduo, clare colligi non possit, cujus sit *dict. cap. inter dilectos.*
Quæ tamen, quod bene notandum, aliquando limitationem
habere possunt; fractura enim sigilli, quandoque non vitiat in-
strumentum, si nimirum illud, à principio, publica manu, de-

- bitis solennitatibus confectum fuit; instrumentum enim, ha-
14. bens subscriptionem testium, licet sigillum sit perditum, firmum manet, ut scribit Panormitanus *in dict. cap. inter dilectos*. nisi, ubi sigillum est de substantia, vel ita in principio esset conventum, ut sigillum apponatur, *l. contractus C. de fid. instr.* Sigillum
15. enim, regulariter ad uberiores fidem faciendam additur. Quoties igitur instrumentum, vel privilegium subscriptionibus, & aliis necessariis, probari potest, toties sigilli defectus, obesse non potest.
16. §. IV. Suspectum etiam fit, si cera apposita reperiatur, cujus color, contra receptum morem est, v. g. si semper rubra cera sigillum apprimi in usu fuerit, in alba vel viridi appositum inveniatur.
17. vel, quando charta sigilli inferior, est vetustissima, & per novam ceram, fuit chartæ annexum, vel contra, si sigilla sint pervetera, & membrana instrumenti, multo recentior, vel, si cera exterior,
18. sit nova & recens, interior vero, vetustissima, aut, si sigillum, per se, vetustissimum sit, sed quibusdam in locis, recenti cera, illitum fuerit. Quia tunc vetus sigillum, ex alio forte instrumento, subtractum, glutino recentioris ceræ, per falsum appositum, & aliæ scripturæ subtractum præsumitur, *d. cap. inter dilectos*. Item,
19. quando sigillum ceræ impressum non est, sed charta ceræ conjuncta, & in charta, supra ceram impositum, more insolito, reperitur; ex insolito enim fraus præsumitur, *l. 2. C. de furt. & serv. cor.* atque ita judicatum in Camera Imperiali, in causa, Herrn Christophen / Herzogen zu Württemberg / contra Keiserlichen Fiscal / in causa exemptionis, die Graffschafft Lewenstein betreffend / refert Ruland. *tract. de commiss. part. 2. lib. 5. cap. 30. n. 18.* Simili modo
20. etiam res se habet, quando sigillum extra usum, ad quem destinatum est, abhibetur. Matth. Wesenbec. *conf. 178. n. 44.* vel, si sigillum alienum sit, nec additur, quibus causis, adductus sigillans,
21. id fecerit, fidem non facit. Et denique, si sit defectus trium, ad sigillorum probationem, necessariorum requisitorum, videlicet, cujus est sigillum, & à quo apponitur, & propter quid apponitur: Hæc enim, nisi appareant, vel ex circumstantiis deprehendi possint, sigillum nihil operatur, Matth. Wesenbec. *conf. 178. n. 18.*

§. V. Quæ

§. V. Quæ omnia, ita accipienda sunt, ut sæpe, singula su- 24.
spicionis causæ, per se, scripturæ fidem evertere possint, multo
itaque magis, plures, ex iis simul, concurrentes. Bene autem no-
tandum est, quod hoc sigillum suspectum, in iis instrumentis, in 25.
quibus, pro forma, vel solennitate quadam requiritur, nihil
probet, imo pro nullo habeatur, e. g. in testamentis, quæ non
valent, incis, vel voluntate testatoris remotis sigillis, veluti ad 26.
substantiam eorum spectantibus, l. 22. §. signa ff. de testam. l. 1. §.
si heres ff. si tabul. testam. null. exta. Vel eo casu, quo instrumen-
tum, licet sit publicum, & ob id, quantumcunque amisso, vel de- 27.
structo sigillo, validum remaneat, attamen, si ex tenore instru-
menti appareat, quod ab autoritate sigilli, ipsius fides depen-
deat, bene, per ejus decisionem vel remotionem, dicetur, instru-
mentum cassatum esse, cum ipsius fides, à sigillo dependeat. Pa-
normitan. in dict. cap. inter dilectos: ubi inter alia dicit, raro hoc 28.
accidere, ut sigilla instrumenti, pro substantia contractus, &
ut formale robur, dispositioni præstent, apponantur, cum sem-
per, ad majorem cautelam, vel testimonium, & majorem firmi- 29.
tatem, imprimantur.

§. VI. Falsum sigillum, quod attinet, dividitur in adulteri- 30.
num, & furtivum. Illud est, quod dolo malo, in fraudem alicu-
jus, ita ad similitudinem & paritatem alterius, efformatum est,
ut per omnia cum ipso conveniat.

§. VII. Furtivum est, quod in se, est & manet authenti- 31.
cum, male tamen applicatum fuit, v. g. si forsan servus Domini,
sigillum, clam, ignorante Domino, abstulit, & nomine Domini,
instrumentum aliquod sigillavit. Ex his omnino fluit, ut, qui 32.
tale sigillum dolo malo conficit, sive applicat, eoque ad circum-
veniendum utitur, falsum committat, Leg. 30. Corn. de fals. Est
autem falsum, definiente Treutlero, volum. 2. disp. 30. §. 8. Veri
immutatio, per fraudem facta. Sed, cum falsum ut plurimum 33.
committatur lucri gratia, eoque respectu, speciem quandam 34.
furti induat, eaque consideratione, in leg. pen. ad leg. Corn. de fals.
actio pœnalis in duplum, contra eum, qui falsa mensura, dece-
pit emptorem, dari videatur: Tale quid forte, ut recte monet 35.
Bachovius, adjiciendum fuerit, alias definitio, cum definito,
nom

non poterit converti, siquidem, qui ex proposito mentiuntur:
non statim in hoc crimen incidunt, *l. 32. de fals.* Solis namque
36. verbis, non subsecuto aliquo effectu, mendacium saltim, non
falsum committitur, *l. 23 ff ad leg. Corn. de fals.* Ut ergo quis di-
37. catur, circa sigillum crimen commisisse, non sufficit, si forte si-
gillum ali, quod tale, imitando efformaverit, sed præterea requi-
ritur, ut dolo malo applicatum, aut inde aliquod lucrum ca-
ptum sit, & in præjudicium alicujus tertii vergat, & ut ob talem
38. falsitatem, aliquis detrimentum patiatur; nunquam enim falsi-
tas dicta ratione punitur, nisi inde aliquod consurgat damnum,
præjudicium, injuria, aut dedecus alterius. *Carpz. prax. crim. q. 93.*
39. §. VIII. Cum vero pœna falsi, sit arbitraria, & juxta cir-
cumstantias, & qualitates concurrentes, infligi soleat; pro
40. ratione damni admissi, nonnunquam pœna mortis vel relega-
tionis, juxta conditionem personæ, irrogatur. Id quod clarissi-
me patet *artic. 12. ordin. criminal. Carol.* cujus verba, uti Carp-
41. zovius dicto loco refert, hæc sunt: *Welcher falsche Siegel/Brief-
fe, instrument/Urbar/Kentz-oder Zinsbücher/ oder Register ma-
chen/ die sollen an Leib oder Leben/ nach dem die Fälschung/ viel oder
wenig/ böshafftig und schädlich gesucht/ nach Rath der Verständi-
gen/ oder sonst/ als zu Ende dieser Ordnung vermeldet/ peinlich ge-
42. straffet werden.* Quare & Scabini, eodem referente Carpzovio,
habita ratione ipsius delicti, imprimis vero damni dati, hoc ca-
su, relegationem temporalem, falsariis indicere, haud dubita-
verunt, ita pronunciantes: *Hat gefangener G. B. in guten beandt/
und ausgesaget/ daß er eine falsche Kundschaft/ durch einen andern
schreiben/ und des Raths Insiegel/ von einer alten Kundschaft/ so er
hievor gehabt/ abreißen/ und auff die neue trucken lassen/ &c. so wird
er derenthalben/ mit zeitlicher Landesverweisung/ billich in Straffe ge-
nommen/ V. R. W.*
43. §. IX. Quin &, majori damno dato, severior quoque pœ-
na, ut relegatio perpetua cum fustigatione, falsariis fuit im-
posita. *vid. Carpz. prax. crim. q. 93.* Quandoque tamen, modi-
44. co damno, per falsum dato, mitiorem quoque pœnam arbitra-
riam, carceris, aut multam pecuniariam, ob confectionem fal-
sorum instrumentorum, dictatam fuisse, refert Id. Carpz. *d. loc.*
§. X. Hac

§. X. Hac autem pœna falsi, tenentur non modo, qui falsa 45.
instrumenta scribunt & conficiunt, sigillis appositis, sed & ii, qui
sigilla, aliave signa adulterina faciunt, licet alius, iis utatur ad 46.
decipiendum.

§. XI. Item falsi tenetur & is, qui abnegat suum sigillum, 47.
l. 27. §. 1. ff. ad L. Corn. de fals. Ubi expressè dicitur, & eum, qui
contra signum suum, falsum præbuerit testimonium, pœna
falsi teneri. Etenim, abnegans sigillum suum, si falsi convi- 48.
ctus sit, amplius in testimonium non adhibetur: nam qui falso
sigillum suum falsitatis arguit, seipsum, tanquam falsarium ac- 49.
cusat, atque seipsum abnegat. Huc pertinet, quòd annulus, vo- 50.
luntatis nostræ certissimus testis, imo non testis modo, sed
tanquam ipse nos, ut recte Cicero ad Q. Fratrem scribit.

§. XII. Eadem pœna manet etiam effractores sigillorum, 51.
quibus literæ occlusæ sunt. Præsertim, quia isti literarum ef-
effractores, jus gentium, quo Legati prohibentur violari, læ- 52.
dunt, can jus gentium 6. dist. 1. at literæ, nihil aliud sunt, quam
muti legati, Tabellariis, qui eas deinde curarent, commissæ,
Ter. in phorin. act. 1. scen. 2. Ceterum neque palam, vel publice, 53.
neque secreto aperire literas licitum; omnis enim apertura pro-
hibita est, ut dicit Ulpian. in l. 23. §. 20. ff. ad S. C. tum Silan. Idq; non
immerito; humanam enim societatem, & amicorum absentium 54.
colloquia, è vita humana tollit, qui literas, ad alium missas, in
medium profert, Cicer. philip. 2. Hug. Grot. lib. 2. de J. B. ac P.
cap. 4. n. 4. Eum etiam, qui literas alienas alicujus privati, ape- 55.
rit, & solus legit, nec alteri ostendit, crimine stellionatus teneri,
docet Bartol. in l. 2. ff. ad L. Corn. de fals. quod enim in privatis de-
lictis, de dolo actio; id in criminibus, stellionatus persecutio est. 56.
Cum enim titulus criminis deficit, utique stellionatus objicie-
mus, everriculum nimirum omnium fallaciorum & impostura-
rum l. 3. §. 1. ff. Stellion. Et, quemadmodum de dolo damnatus, in- 57.
famis fit, ita etiam stellionatus damnatus, l. 13. §. ult. ff. de his qui
not. infam. Hoc autem stellionatus judicium, licet publicum 58.
non sit, d. l. 13. §. ult. extraordinariam tamen cognitionem ha-
bet, l. 2. stellionatus. & talem quidem coercionem, quæ genere
etiam pœnæ infamet, velut opus metalli, relegationem, ab or- 59.

F

dine

dine remotionem, *d. l. 13. §. pen. ff. stellion.* Ut plane dubitari
60. non debeat, quin stellionatus damnatio, non minus, quam do-
lus semper infamet, *d. l. 13.* Et quamvis videri posset, eo casu,
ubi apertura nemini nocetur, pœnæ locum non esse; hoc
61. tamen non obstante, meritò extraordinariæ pœnæ locus sem-
per remanet, cum sit res mali exempli, literas alienas aperire,
sive scribenti, per hoc, fiat præjudicium sive non. Imo, etsi in
62. ipsis literis aliquid scriptum esset, contra aperientem & legen-
tem: adhuc pœna ipsa stellionatus extraordinaria, locum sibi
vindicabit. Non ob hoc enim eas debuit aperire, sed aut non
recipere, aut receptas, fideliter præsentare. Add. D. Strauch.
Exerc. exoter. 12. th. 5.

63. §. XIII. Civili etiam judicio, conveniri potest, neque de-
positi tantum, in eum agi, verum etiam in factum & injuriarum,
si injuriæ faciendæ animum habuerit. Ait enim Ulp. si quis
64. tabulas testamenti, apud se depositas, pluribus præsentibus
legerit, utilius esse, in factum & injuriarum agi, si injuriæ facien-
dæ causa, secreta judiciorum publicarit, *l. 41. in f. pr. ff. ad L. A-*
65. *quil.* Uniuscujusque enim, non mediocriter interest, arcana sua
nemini pandi, *l. 2. vers. quid enim C. quand. & quart. pars deb. lib. X.*
66. §. XIV. Furti quoque pœnæ, subjiciendus est, qui alienas
literas aperuit. Id quod eleganter & distincte JCrus Paulus
tractat in notabili, *l. 14. §. ult. ff. de furt.* Tandem, etiam cri-
67. mine læsæ majestatis, reus fit, qui literas publicas aperuit,
ex quibus hostes adjuti sunt, & respublica, sive Princeps da-
68. mnus passus est. Atque hæc sunt, quæ pro modico ingenii ca-
ptu, de hac elegantissima materia, componere volui; quod si
forsan in exascitando hoc opusculo cespitaverim, peto, ut.

B. L. non modo veniam mihi concedat, sed & in men-
tem revocet, illud nescio cujus. Nihil
ab omni parte beatum!

SOLI DEO GLORIA.

Ad!

Ad Humanissimum ac Peritissimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum & Commensalem suum dilectum!

JURA SIGILLORUM, *qua sint? dum differis aptè:*

Et profers, gravibus qua placuere VIRIS:

J Blanditur THEMIS, & promittit premia digna,

Qua calidis studiis distribuisse solet.

Det DEUS, ut ceptum hoc decurrat tramite fausto;

JURA SIGILLORUM plurima JURA ferant!

Benevolæ gratulationis causâ faciebat

Christianus Chemnitius, D.

P. P. Pastor & Superintendens.

Qvisque suos opifex manuum monstrare labores
Gaudet, & arte studet quemque præire suâ.

Quid movet: utilitas: Et Te, SCHNEIDERE, juvabit

Ingenium doctis exposuisse tuum.

Utilitas pulchrum comitetur, honorque laborem

Præclarum! Obsigna Tu mea vota DEUS!

Honoris & amoris causa f.

Christoph. Philip Richter / D.

Com. P. C. Prof. Publ. & Collegii

Jurid. Ordinarius.

Differis hic dextrè, quod jus, SCHNEIDERE, Sigilli:

Ti sua donabit, nostra, sigilla Themis!

Ita politissimo, doctissimoque Dn. Schneidero, utroque in jure versatissi-
mo, ac præsentis Dissertationis Autori, amico suo candidissimo pari-

ter ac dilectissimo, gratulatur animitus & *avlogedias!*

Joh. Jacob. Avianus, D. & Præf.

PRÆ-

PRÆEXIMIO
SCHNEIDERO

HALLENSI,

de

felicibus in studio juridico progressibus

gratulatur

GUERNERUS ROLFINCIUS

Phil. Med. D. P. Facultatis

Senior.

SCHNEIDERE, chare, Candidate Palladis,
alumne Themidis, & variæ scientiæ!
magni æstimas artem sacratam Apollini,
mirabili fatô, cui animam debes tuam.

Miraris artem, Hygeia cujus præles est,
Majora lectaris, jurisprudentiam
justique formas, atque apices scientiæ,
quæ civitatum jura dictat fascibus,
civesque normâ flectit, & salvos cupit,
amplecteris. Factum bonum & amabile!

Nunc mente pondera sagaci singula,
pectusque porrô nuncupa virtutibus,
Sic universi digna vives portio,
custos sigilli, juris atque gentium,
& stirpe dignum splendidâ tolles caput.

F I N I S.

94 A 7350

ULB Halle

3


000 963 828




Sb.

Vd 17







AUXILIANTE DEO TRINUNO!
DISSERTATIO JURIDICA,

DE
**JURE SIGIL-
LORUM,**

Quam,
EX MAGNIFICÆ ET NOBILISSIMÆ FACUL-
TATIS JURIDICÆ CONSENSU,

SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
ET CONSULTISSIMI,

DN.
JOHANNIS JACOBI AVIANI,
J. U. DOCTORIS, ET, IN CELEBER-
RIMA HAC SALANA, PROFES-
SORIS PUBLICI,

Placide eruditorum censura exponit
CASPAR DANIEL SCHNEIDER,
HAL. SAX. AUTOR ET RESPONDENS.

In Auditorio Juridico,
Ad d. 22. Julii, Anno M DC LXV.
horis consuetis.

—————
J E N Æ,
Typis SAMUELIS KREBSII.